



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 4. Animæ æstimatio, cura, custodia. Ex Veteri, Novo, Patribus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

rum. Via hominem in terminum ducit, sed quantum suo dispendio? ab omnibus calcatur, protegitur Did. Niss. D. 2. Pent.

*Egressus trans torrentem Cedron.* Jo. 18. 1. Animam quaerens ingreditur hortum; orat, laborat; & sudore sanguineo madefactus in agonia supplicat aeterno Patri animam invenire. Fluit sanguis pro te abluenda, anima mea! Apertae sunt cataractae caeli, ut inundet diluivum gratiae ad animae crimina suffocanda. Id. ioid.

*Formam servi accipiens.* Philipp. 2. 7. Non servus servorum Dei, sicut Papa, sed servus servorum diaboli factus est, serviens in fimo peccatorum expurgando. *Servire me fecistis in peccatis suis.* Jf. 43. 24. Servivit autem nobis non uno modo, sed usque ad mortem. Unde nefas est, fraudare eum mercede sua, id est, animam tuam, pro qua servivit. S. Bonav. 7. D. 1. adv.

### Ex Patribus, & aliis.

Quid animas hominum, nisi cibum Domini dixerimus; quae ad hoc sunt conditae, ut in ejus corpore trahantur, id est, ut in aeternae gloriae augmentum tendant. S. Greg. hom. 17. in Evang.

S. Ephrem de Compunct. l. 3. Christum, sicut & alibi saepe, vocat animarum amatorem.

Christus venit ad forum hujus mundi, ad emendum animas pretio sanguinis. S. Vinc. Ferr. l. 3. de Nat. B. Virg.

Videtur, quod Christus in sua circumcissione tenuerit modum magni mercatoris venientis ad feriam, pro emendo pretiosas merces; quas non solvit, sed dat signum, vel arrham; deinde tempore statuto solvit totum pretium. Ita fecit D. N. I. C. qui venit de caelo in terram, in quam intravit in die Nativitatis ad emendum pretiosas margaritas, id est, animas, dicens *Mundo: da mihi animas, caetera tolle tibi.* Gen. 14. 21. Id. in festo Circumc. Dom.

### §. IV.

#### Animae aestimatio, cura, custodia.

#### Ex Veteri.

*Propitius sis mihi Dominus.* 3. Reg. 21. 3. Vinea est anima, quae est tota hereditas nostra; quare cave, ne illam vili pretio voluptati, vel honoris vendas diabolo, morti, gehennae. Corn. à Lap. hic.

*Vir erat &c.* Job. 1. 1. B. Job de virtute, & fortitudine, animi contra tentationes, quas, diabolo instigante, sustinuit, *vir* appellatus est. V. Beda. in Job. 1.

*Quare animam meam porto in manibus meis?* Job. 13. 14. id est, nulla est ratio, quare salutem animae meae parvipendam: illud enim, quod in manibus portatur, de facili non amittitur. Unde videtur, quod ejus amissio non multum timeatur: quae enim aliquis amittere timet, diligenter abscondit. S. Thom. hic lect. 2.

*Erue à frumena Deus! animam meam, & de manu carnis unquam meam.* Pf. 21. 21. Scilicet animam suam. *Unquam meam*, S. Hier. *solitariam meam.* Sept. *unigenitam.*

Anima unigenita, primogenita est, ut prima omnium sit in pretio, amore, & oculis; ut illi, & pro illius honore, salute, cura, labores, & sudores, vita, morsque hominis, tanquam filio unico, & haerede, à patre amatissimo impendatur. Sed longè fit aliter: nihil enim tam solitarium, orbatum omni ope; nihil aequè à sensu, memoriâ, cogitatione, à curâ, & studio, alienum; quam anima sua cuique nostrum est. Benedic. Fernandus in Gen. 1. l. 3.

*Circumæderunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me; tribulationem, & dolorem inveni.* Psalms 114. 3. Quid inter has angustias dicit? hoc tantum inclamat: *ô Domine, libera animam meam!* S. Chrysost. vidisti sapientem animam, quomodo, relicta omnibus, quae ad hanc vitam pertinent, unum tantum petit; ut maneat anima illaesa, & nihil patiat eorum, quae illam lædant. Did. Niss. ser. 6. post. D. 3. Quadrag. §. 4.

*Anima mea in manibus meis semper.* Pf. 118. 109. Sicut, quod in manibus nostris tenemus, non facile obliviscimur; sic nunquam obliviscamur negotium animarum nostrarum; & illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris. S. Bern. l. 3. de Vigil. Nativ.

### Ex Novo.

*Accessit ad eum Centurio rogans eum.* Matth. 8. 5. Ille pretiosus est Domino suo servus, qui magnò pretio emptus sic fideliter servit, sic res Domini servat; ut pretio dignas reddat Domino usuras. Quis vilior, quam qui nihil proficit, licet mille aureis constiterit. Euseb. Emis. hom. 1. de Symbolo: ille pro commissâ nobis salute rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est. Qui tantum contulit, scit, quantum reposcat. Novit, quanti ei constiterit homo suus; non ergo viles nobis simus, qui tam pretiosi Deo fuimus; nihil ille à nobis abjectum, nihil mediocre suscipit; vult consentire cum generositate pretii dignitatem redempti, Baeza t. 2. l. 9. c. 3. §. 3.

*Quid hic stans corâ die otiosi?* Matth. 20. 6. Non negotiosi. Est magnum negotium, quò nullum in hac vita majus, & praclarior, vinea nostrae; id est, animae cultura, & salus. Barradius hic. Omni vigilantia culturae vineae, id est, animae nostrae, vacandum docet paterfamilias, qui ad colendam vineam summam vigilantiam adhibuit. Quod illi è fomno excitato primum occurrit, vinea est, mox è lecto surrexit, domo exivit, in forum abiit, quaerens operarios. Nec hoc satis; *egressus circa horam tertiam &c.* Discat Christianus ab hoc paterfamilias diligentiam, & vigilantiam, quam vinea, id est, animae suae, adhibere debet. Hoc negotium primò manè, cum expergiscitur, primum veniat in mentem: *vinea mea coram me est.* Cant. 8. 12. *Anima mea in manibus*

*bus meis semper.* Operarii in hanc vineam vocandi: primò manè voca considerationem rerum aeternarum. Hic operarius eximius vineæ, qui illam sylvescere non patitur: *cogitavi dies antiquos*, Pl. 76. 6. antiquos illos sanctos, antiquas virtutes. Secundus operarius lectio sacrorum librorum. Tertius operarius confessio: hæc vineam putat, crimina amputans. Quartus operarius Communio. Quintus custodia Angelorum, & auxilium Christi; sine quò nihil possumus, Barrad. ib.

*Cujus est hæc imago?* Matth. 22. 20. oportebit intergiverfabiliiter omnem animam in iudicio exhiberi discutiendam, si immaculata servata est, si aliam impressionem accepit; si, ubi, quando, quâ causâ, quò scalpro; à quo, aliam malæ artis impressionem accepit. Et si abolita est illa scriptura naturalis, & originalis iustitiæ, quæ non atramentò, aut aliquò stylo, sed divinâ virtute scripta fuit in cordibus humanis. Sim. de Cass. l. 11. c. 51. Reddamus Deo imaginem suam, reddamus Deo animas nostras; nihil charius habemus: hoc igitur tributum solvere debemus. S. Euseb. Emisf. Dom. 23. post Pent.

*Stupébant super prudentia ejus* Luc. 2. 47. hortabatur non ad quævis promiscuè, sed ad coelestia, & animæ salutaria; perfidisque, & obstinatis peccatoribus imperterritè supplicia comminabatur. Victor Antioch. hic.

*Unica filia erat ei, & hæc moriebatur.* Luc. 8. 42. Barrad. Habet quivis homo filiam dilectam, & unicam, scilicet animam suam. Dementia ergo argueris, qui tam segniter unicam custodis. Escobar t. 1. mir. Christi. parte 4. observ. 2.

*Permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.* Luc. 9. 59. Summa vitæ humanæ incertitudo nec minimam morulam admittit, quò tardes ad Deum venire. Quid agis homo? Deum sequi vis, & primùm domum abis? Unde scis, an revertendi tempus aderit? vis domesticas res disponere; habesne diem crastinum? Ezechias jubetur domui disponere, Jf. 38. propter instantem mortem; ille autem, domum oblitus, hoc agit, ut Deum oret. v. 2. Baeza. t. 2. l. 6. c. 4. §. 7.

*Intravit JESUS in quoddam Castellum.* Luc. 10. 38. Esto & tu Castellum, ut intret in te JESUS. Castellum fortissimum debet esse anima, quam JESUS inhabitat. S. Thom. Vill. de Ass. Virg.

*Sedens secus pedes Domini.* &c. Luc. 10. 39. Intrat Dominus fatigatus ex itinere, & fame confectus: Maria autem de necessario victu divino Magistro non prospicit, secus pedes illius sedet, ut Verbum ejus audiat. Magna quippe res est, & animam sui oblivisci, & Mundi, coram Deo. Sic mulier illa Samaritana juxta fontem eloquiò Domini absorpta, hydræ, & aquæ, oblita est. Jo. 4. 28. Sed magis absorpta erat Maria: quia Dei, coram ipsò Deo, absorpta est. Aspice Sancta mulier, quòd ille fame affligitur, qui Angelos pascit! fameat ille, ut salver ego. Ecce quantæ curæ sit, D. Mag-

dalena anima sua! Philipp. Diez. conc. 2. in Ass. Virg.

*Cum fortis armatus custodit atrium suum.* Luc. 11. 21. Gilbert. f. 16. in Cant. *En lectulum Salomonis 60. ambiens.* Cant. 3. 7. & in Evangelio habes: *cum fortis armatus custodit atrium suum.* Ueberior hic commemoratur custodia, quia ueberior est gratia lectuli, quàm atrii; & sponsæ sollicitudo major, quàm possessionis. Sylveira hic. quæst. 20.

*Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.* Luc. 16. 1. Animam nostram, quasi villam suam nobis dignatus est committere Deus, ut illam omni studio debeamus excollere. S. Cæsar. Arelat. hom. 20.

*Anima mea habes multa bona posita.* Luc. 12. 25. Amat animam suam, qui, quantum in deliciis, tantum in vitis, fovet præsentem vitam suam, qui sibi blanditur; qui etiam malam defendit vitam suam; qui dicit cum stulto divite: *anima mea &c.* Iste ergo perdet eam: nocte enim, id est, tempore, vel hora, quam ignorat, repetent eam. E contra odit animam suam, qui abhorret, qualem fuisse meminit præteritam vitam suam; qui conversus ingemiscit, & seipsum punit per poenitentiam. Iste in vitam aeternam custodit eam. S. Rupert. Abb. l. 1. in Deut. c. 24.

### Ex Patribus.

Pretiosa vestis timidius custoditur, majori sollicitudine possiderur; grandi curâ, magna, quæ sunt, custodiuntur. S. Cyprianus lib. de mortali.

Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant; summasque sibi sollicitudinis partes salus quæ summa est, vendicet. S. Eucher. epist. paranet. ad Valerian. cogn. suum. Chariores nobis nos debemus esse, quàm nostra sunt. Id. hom. 2. in Natali Ecclesiæ.

Unius animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio possit æstimare. Etenim si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur; perditio, cogita, quantam conciliabit poenam? S. Chrysof. hom. 3. in Acta Apost.

Pecuniam qui amisit, aliam pro amissa potest afferre; similiter qui aedes, qui servos, qui cætera hujusmodi, amisit: animam verò si perdas, aliam pro ea dare nunquam poteris. Sed si rex orbis, atque Dominus, es; si omnia, quæ in orbe sunt, & ipsum orbem offerres, non poteris animam eruere unam; Id. hom. 56. in Matth. 16.

Quæ oratio, quæ merces; quantum honorem Deus humano generi exhibuit, mirificum profectò & admirandum explicare poterit! quis Angelus? quis archangelus? nihil quod in cælis est, nihil quod in terra. Et profectò in hoc quoque Domini videre licet benignitatem; qui, cum nemine nostrum indigeat, referri sibi tamen vicem dicit, cum animam nostram non neglexerimus. Id. hom. 10. in Jo.

Nullò

Nullò pacto simul stare possunt, & argenti, & animæ, amor. Id. in 1. Corinth. c. 10. hom. 23. Omnia nobis duplicia dedit Deus: duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes; ut, si alterum horum læsum sit, alterò indigentiam relevemus. Animam verò unam nobis dedit; quam si perdidimus, quonam vivemus? Id. or. de anima.

Vitam curemus nostram, & neque circa pecunias studeamus, quæ pereunt, neque circa gloriam, quæ extinguitur; non circa corpus, quod senescit; non circa pulchritudinem, quæ marcescit, non circa delicias, quæ defluunt: sed circa animam omnem curam impendamus, & hanc omnem curemus modò. Idem hom. 8. ad pop.

Impius est, qui animæ suæ pro suis parentibus est crudelis; majoremque temeritatem hac nemo habet, quam ut animam suam ponat ita periculose quis pro amicis suis. Petr. Blefens. ep. 11. ad Cler. ingress. relig. tardantem.

Codicis divini phrasis est: posuit animam suam in manu sua; id est, in summum se discrimen objecit. At commendare, & ponere animam suam in manus Dei, summæ securitatis. Drexelius de Christo moriente, parte 3. c. 6. §. 7.

## §. V.

*Animæ cura præ corpore esse debet.*

*Ex Veteri.*

*Immisit D. Deus soporem in Adam &c. Gen. 2. 21.* Dum mulier ei in auxilium rei familiaris datur, prima de anima cura, secunda de corpore. Sylv. in Luc. 6.

*Cumque cognovissent, se esse nudos. convenerunt folia ficus. Gen. 3. 7.* Plus inhiant homines divitiis, quam criminibus extirpandis. Primi parentes delicti rei delentine criminibus culpam? curantne animæ medelam? *cum cognovissent &c.* Corporis nuditatem tegere laborarunt, nuditatis animæ non meminerunt: prima studia non animæ dicantur cultui, sed corporis ornamento. Naxera in Jos. 12. §. 3.

*Divisique filios Lia &c. Gen. 33. 2.* Ancillis præventibus Rachelem, & Josephum, ultimò sistit locò Jacob: quia, ut ait Oleaster, commune, & naturale est, ut quæ minus diligimus, prius periculis exponamus; sicut hic Jacob ancillas, & liberos præmisit. Ludov. Alvarez in Joseph. Illustr. Illust. 4.

*Erant omnes animæ. Exodi 1. 5.* Nota: Dominus homines vocat animas potius, quam corpora: per hoc insinuans; curam animarum potius, quam corporum, esse gerendam. Unde Dominus primò venit propter animas, secundò propter corpora reformanda venturus. Hugo Card. hic.

Israëlita percussus à serpentibus æneum serpentem aspexerunt, Num. 21. 9. nec ullus adeò sciolus aut superbus, qui in illo scandalizetur, & nolit ab eo salutem sperare. Ponitur eidem populo Filius Dei in cruce exaltatus; quem si suspiciant, veram, & æternam salutem habeant; Quid nunc Judæis crux Christi? S. Paulus respondet: *Judæis quidem scandalum, Polyanih. Sacr. Tom. I.*

*Gentibus autem stultitiam. 1. Cor. 1. 23.* Bæza t. 3. l. 14. c. 10. §. 38.

Salomon septem annis ædificavit templum, 13. regie domui impendit 3. Reg. 6. 1. Josephus l. 8. antiq. c. 2. absolutà templi fabricà, quæ septenniò duravit, Regie structuram est aggressus; quam vix decimo tertio annò consummavit. Cur amplissimo templo ædificando non tot annos impendit, quot regie domui extruenda? quia primò curæ spiritali totus conatus animi erat impendendus; extructionem autem domus ad proprium usum quasi accessorium rex sapientissimus deputavit. Escobar t. 3. colloq. Chr. obl. 4.

*Extende paululum manum tuam, & range cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Job. 1. 11.* Pro certo habebat Sathanas Jobi virtutem mox casuram, ubi bonorum temporalium, quibus innitebatur, affluentia tolleretur. Deinde jacturam bonorum omnium, quæ possidebat, significat fieri tantum ex levi, pauculaque Dei manus extensione, & attestatione. Itane leviter, & paululum extendere manum, & tangere, vocas extrema illa Jobi clanna, quæ Dei facultate tibi concessa parasti? *paululum* vocas, extendere, tangere, boves, asinas, jumenta omnia à Sabæis abacta? &c. S. Greg. quæcunque externa mala inferat Sathanas, parvi æstimat, nisi animam læserit; Et reipsà verissimè dictum est: levia sunt, paucula sunt, nulla, & nihili, quæcunque in Mundo pretiosa, grandia, summa, dicuntur; eorumque quætus, aut damnus nihil est; animæ verò lucrum, aut dispendium solum, & verum, & magnum, æstimari debet: Benedict. Fernandus in Gen. 2. sect. 8.

*Dominus susceptor est animæ meæ. Ps. 53. 6.* Intuerè, quia dicit *animæ meæ*: ut, etsi corpus periculis exponitur, animæ tamen salus illa servetur. Cassiodor. hic.

*Iustorum animæ in Dei manu sunt, & non tanget illos tormentum mortis Sap. 3. 1.* Vel, ut alia lectio habet, *tormentum malitiæ*, id est, peccati. Deus animas quidem Electorum, quò eas tueatur, manu tenet; non autem corpora. Et hæc quidem affligi sinit; illas autem ab omni discrimine præstat immunes: quod exemplò Job probatur; in ejus quidem bona, & corpus, Sathanæ potestatem dedit; animam verò ab omni casu tutatus est. *Animam illius serva.* Job. 2. 6. Petr. Bessæus D. 2. adv.

*Deus noster, quem colimus potest eripere nos quòd si autem noluerit &c. Dan. 3. 17. 18.* q. d. ardeat corpus, modò pietas in Deum integra maneat, nec extinguitur. Escob. t. 1. mir. Chr. l. 5. sect. 4. Observ. 4.

*Laudaverunt Deum, quia in ea non esset inventa res turpis. Dan. 13. 63.* Notat S. Hier. quòd parentes, unaque maritus Susannæ, tantum laudasse Deum feruntur, quòd non esset inventa res turpis in illa. Cur non agunt gratias, quòd à lapidibus, & morte, servârunt? Ratio est: quòd saxa corpori poenam, adulterium noxam animæ inferret: quia iusti animarum ornamenta spectant. Did. Niss. f. 2. in die Cin. §. 2.

P

Ex